

monium reparabile, procul dubio ejici posset, et ad instantiam alterius dimitti deberet.

226. *Non item ex parte ingredientis.* — Dicitur tamen notanter: « Si damnum aliter, quam per matrimonium subsequens reparari non potest, » quia si damnum alia via reparare potest, et vult sponsus, licita ac valida erit professio. Nec obstat illud, quod ex l. 2, § *Mutui*. ff. *Si certum petat*. unum pro alio invito creditori reddi non possit; talis autem debet matrimonium; ergo. Resp. enim dictam dispositionem juris non procedere in casu præsentis, utpote ubi jus ipsam obligationem in specie debitam per professionem tollit, c. 2 et 7, de *Convers. conjug.* cui proinde debitum in specie matrimonium non obstat, nisi præcise ratione damni inde consurgentis, quod quia alia ratione reparari potest, et, ut supponitur, reparatur, non habet, quod aliud prætendat damnum passa. (ADNOTATIO LXVI.)

227. Resp. II. Solo ingressu in religionem, etiam professione non secuta solvuntur sponsalia saltem ex parte illius, qui in sæculo remanet, ita ut illico, si velit, alteri nubere valeat. Sanchez, lib. I, disp. 42, n. 2; Sporer, loc. cit. n. 247; Innocentius, in c. *Veniens, qui Clerici vel voventes*, et ibi Anchoranus, n. 4; Joan. Andreas, n. 2, item Navarrus, cap. xxii, n. 26; Sylvester, § *Sponsalia*, q. 10, casu 2; Layman, lib. V, tract. X, p. 1, cap. II, n. 3, cum communi aliorum contra Durandum, et alios apud Sanchez. Ratio est, tum, quia hoc ipso, quod quis ingrediatur religionem, censetur voluntatem mutasse, et sponsalibus ac juri suo renuntiasse; quod facere quis potest per vulgaria. Tum quia accedente notabili mutatione ex parte unius, solvuntur sponsalia, et tollitur obligatio ex parte alterius per dicenda a. n. 255, atqui per ingressum in religionem fit notabilis mutatio ex parte ingredientis, cum grave foret, et dedecorosum feminae, si teneretur adhuc nubere ei, qui jam fuit monachus; e contra viro, si teneretur ducere fuitam monialem. Tum quia nulla pars præsumitur in sponsalibus se obligare ad expectandum, donec novitatus finiatur; ergo.

228. *Per susceptionem ordinum majorum.* — Resp. III. Per ingressum in religionem professione non secuta, non solvuntur sponsalia, nec tollitur, sed manet obligatio ex parte ingredientis, ita ut si remanens in sæ-

culo expectare, et eum adhuc habere velit, egrediens teneatur eam ducere. Castro Palao, de *Sponsal.* disp. 4, pun. 18, n. 3; Engel, h. t. § 3, n. 7; Layman, loc. cit.; Pont. de *Matrim.* lib. XII, cap. x, n. 3; Sylvester, § *Sponsalia*, q. 10, cas. 2; Sporer, loc. cit. n. 248; Pirhing, h. t. n. 50, cum communi aliorum contra Sanchez, lib. I, disp. 42, n. 4, volentem, etiam ex parte ingredientis dissolvi sponsalia, saltem si bona fide ingrediatur. Probatur conclusio nostra: solus ingressus in religionem nec ex natura sua, nec ex jure aliquo positivo solvit sponsalia: ergo. Non ex natura, cum novitatus possit egredi, et sponsalia implere. Nec jure positivo; quia nullum allegari potest: nam c. 2 et 7, h. t. cum concord. loquuntur de sola professione; quæ juris dispositio in favorem professionis concessa, quia est odiosa, utpote in præjudicium alterius vergens, extendi non debet ad solum ingressum; « odia enim restringi convenit, c. *Odia*, 15, de *Reg. jur.* in 6. »

229. *Non item minorum dissolvuntur sponsalia.* — Confirmatur. Omnia vota tolluntur per professionem religiosam; non item per novitatum, aut solum ingressum; nam tempore novitatus manent adhuc suspensa, ergo etiam, licet per professionem solvantur sponsalia, non solvuntur per solum ingressum; cum non sit major ratio, cur per novitatum solvantur sponsalia, et non alia vota. Nec est paritas de remanente in sæculo, et ingrediente; quia ex parte hujus, non item illius fit notabilis mutatio, ob quam merito solvuntur sponsalia ex parte remanentis in sæculo.

230. *Post sponsalia contracta sponsus licite non potest suscipere ordines sacros.* — Queritur VII. An, et quomodo dissolvantur sponsalia per susceptionem ordinum? Et an licitum sit pos. sponsalia ordines suscipere? Resp. I. Per susceptionem ordinis sacri, seu majoris, non item ordinum minorum dissolvuntur sponsalia. Sanchez, lib. I, disp. 47, n. 1. Bosco, loc. cit., cum communi, et certa aliorum. Ratio de majoribus ordinibus patet; quia ordo sacer est impedimentum dirimens matrimonium, arg. c. *Presbyteris*, dist. 27, consequenter dissolvens sponsalia, cum eorum adimpletio per susceptionem ordinis sacri fiat impossibilis, ad quod nemo tenetur c. *Nemo*, 6, de *Reg. jur.* in 6.

231. Ratio secundæ partis est; quia ordines minores non repugnant cum matrimo-

nio; potest enim minorista licite et valide nubere; consequenter etiam tenetur, si spondit. Notat tamen Tanner, de *Sponsal.*, disp. 8, tract. IV, q. 4, n. 43; Gobath, tr. X, casu 8, n. 321; Sporer, loc. cit. num. 256. quod, si sponsus inscia ac invita sponsa minores ordines suscipiat, solvantur sponsalia saltem ex parte sponsæ, ita ut hæc alteri pro libitu nubere possit. Ratio est: Tum quia talis hoc ipso, quod suscipiat ordines minores, censeatur velle cum tempore etiam ordines majores suscipere (ordinarie enim minores per talem non suscipiuntur, nisi cum intentione suscipiendi etiam majores) sicque statum matrimonio repugnantem assumere; consequenter remittere sponsæ jus et obligationem: Tum quia videtur notabilis mutatio, et magna inconstantia sponsi, si post sponsalia suscipit ordines, et post hos iterum nubere vult; ob hujusmodi autem mutationem solvuntur sponsalia juxta dicenda infra a n. 255; ergo.

Resp. II. Quamvis juxta dicta ordo sacer sponsalia dirimat, tamen post ea contracta licite non suscipitur. Sanchez, lib. I, disp. 47, n. 3; Castro Palao, de *Sponsal.*, disp. 4, pun. 19; Rebell., lib. IV, de *Matrim.*, q. 9, sect. 5; Coninck, disp. 23, dub. 3, n. 25; Engel, h. t., n. 8; Pirhing, h. t., n. 57, cum aliis contra Navarrum, cap. xxii, n. 25; Layman, loc. cit., n. 7; Gobath, Pontium, lib. XXII, cap. xi, n. 3 et alios: ratio conclusionis est, quia nec divino, nec naturali, nec humano jure conceditur sponso, quod post contracta sponsalia possit ordines sacros suscipere, sicut concessum est ingredi religionem: ergo etsi eos valide suscipiat, tamen peccat, et illicite agit, utpote sine titulo aut privilegio gravem injuriam tertio, sponsæ nempe inferens, et fidem in materia gravi violans. Nec valet argumentari a professione religiosa ad ordinem sacrum, quia disparitas inter utrumque expresse habetur in jure, « Extravag. Antiquæ Joannis XXII. de voto, et voti redempt. » ubi cautum habetur, quod per ordines sacros matrimonium non dirimatur, uti per professionem; et causa additur: « cum nec jure divino, nec per sacros canones reperiamus hoc statutum. »

232. *Solvitur instantia.* — Confirmatur praxi diocesium, qua constat, quod ante ordinationem inquiri soleat, an nullus fecerit sponsalia? quod signum est, episcopus nec velle, nec licite posse ordinare aliquem sponsalibus adstrictum. Confirmatur ulte-

rius ex toto tit. de *Obligatis ad ratiocinia non ordinandis*, ubi universaliter prohibetur, ne quis in præjudicium alterius, cui aliqua obligatione adstrictus est, ordinetur; ergo neque sponsus in præjudicium sponsæ, cui adstrictus est, licite ordinari poterit.

233. *Votum ingrediendi religionem post sponsalia licite emittitur quidem, sed non illico solvit sponsalia ex parte voventis.* — Objicies cum adversariis principale et unicum fundamentum, videlicet, quod, sicut in quovis voto, sic etiam in sponsalibus contineatur tacite imbibita illa conditio: « Nisi quid perfectius, seu statum perfectionem elegero; » atqui status clericalis est nobilior matrimoniali, ergo. Resp. negando, quod illa conditio tacite insit sponsalibus; quia inest tantum votis, seu promissionibus Deo factis, non item factis homini: alias enim posset quis cuncta promissa etiam jurata homini facta ex illa tacita conditione negligere, quod falsissimum est, uti late ostendit Castro Palao, *Tract. de Jurament.* Et patet in exemplo, quo vellet quis dare, vel votere Deo equum, quem alteri jam promisit. Certe enim id non liceret, nec valeret, utpote tertio injuriosum, licet alias Deo, aut piæ causæ dare equum sit perfectius, quam dare homini. Aliud est in votis, utpote in quibus Deus ipse promissarius est, qui utique remittit, vel remittere censetur votum minus perfectum, si loco hujus perfectius præstatur. Cur autem liceat religionem ingredi cum præjudicio sponsæ, causa non est, quia religio est status perfectior, sed quia a jure concessum est.

234. *Bene tamen ex parte alterius.* — Queritur VIII. An etiam, et quomodo per votum ingrediendi religionem, aut suscipiendi ordinem sacrum, vel etiam per votum simplex castitatis dissolvuntur sponsalia? Resp. I. Quamvis licite et valide quis votere possit ingredi religionem, tamen per talem votum non illico solvuntur sponsalia ex parte utriusque, sed tantum ex parte non voventis. Prima pars, quod licite et valide votere quis possit religionem, et in ea profiteri, est certa apud omnes, hoc ipso enim, quod post sponsalia quis possit licite ingredi religionem, etiam id votere potest.

Secunda pars, quod per tale religionis votum non illico solvantur sponsalia ex parte utriusque, tenetur a Castro Palao, de *Sponsal.*, disp. 4, punc. 20, n. 4; Tamb., lib. II, n. 7; Sporer, loc. cit., n. 252 et aliis contra

Layman, loc. cit., n. 5, et alios. Ratio est, quia bene fieri potest, ut quis vovens religionem nullibi suscipiatur, vel susceptus tempore novitiatus iterum egrediatur, casu quo cum cesset obligatio voti, subintrat obligatio servandi sponsalia; si pars in sæculo remanens adhuc exspectet, et eam habere velit; prout in simili supra num. 226, diximus de ingrediente religionem absque præcedente voto. Confirmatur, quia solummodo ipsi actuali professioni jura attribuunt vim solvendi sponsalia ex parte utriusque, sicut et matrimonium ratum, arg. c. II, et VII, de *Convers. Conjug.*, ergo ad votum ingrediendi, ac profitendi, juris dispositio, utpote odiosa et in præjudicium tertii vergens extendi non debet, arg. c. *Odia de Reg. jur.* in 6.

Cæterum, quod ex parte remanentis in sæculo per simile votum solvantur sponsalia, tenent omnes; hoc ipso enim, quod quis licite voveat assumere statum matrimonio repugnantem, censetur renuntiare sponsalibus, et juri ex iis sibi acquisito, consequenter partem alteram reddit liberam ab obligatione, ita, ut si velit, cuivis alteri nubere valeat; quamvis etiam, si velit, exspectare possit actualem professionem, et ea non secuta compartem suam ad matrimonium urgere per dicta n. præced.

235. *Emissum post sponsalia votum suscipiendi ordines sacros non solvit sponsalia ex parte voventis, bene autem ex parte alterius.* — Resp. II. Votum suscipiendi sacros ordines potest quidem ex parte validum et licitum emittere, id tamen illicitum et invalidum est, quatenus præjudicat sponsæ: nec sponsalia ex parte utriusque dissolvit. Hanc conclusionem tenent omnes n. 230 citati, docentes, sponsum non posse nec suscipere sacros ordines; consequenter nec vovere, quod in præjudicium sponsæ eos suscipere velit. Conclusio probatione non indiget, cum necessario sequatur ex conclusione n. 230. posita; hoc ipso enim, quod sponsus licite non possit suscipere sacros ordines, votum illos suscipiendi, et valide emittere non potest; quia votum de re illicita nec licitum, nec validum est, arg. c. *Quanto de Jurejur.* Notat tamen Sanchez, lib. I, disp. 47, n. 4, per tale votum solvi sponsalia ex parte sponsæ, eo quod sponsus merito censeatur ei remittere jus suum, et renuntiare sponsalibus: quamvis enim tale votum sit nullum, ipse tamen, quantum est

in se, intendit et vult assumere statum matrimonio repugnantem, consequenter juri ad hoc renuntiare; ut proin sponsa cognito tali voto pro libitu possit alteri nubere, arg. c. *Veniens, qui Clerici vel voventes*, vel ita voventem ad eidem nubendum adigere.

236. *Idem est de voto continentie.* — Resp. III. Quamvis post sponsalia jam contracta possit quis ex parte licite et valide vovere perpetuam continentiam, tamen hoc continentie voto, quantum præjudicat comparti ex sponsis, non valet, nec dirimit sponsalia ex parte voventis, bene vero ex parte alterius, Sanchez, lib. I, disp. 46, n. 9; Barbosa, in c. *Veniens, qui Clerici vel voventes*, n. 2; et ibi Abbas, n. 5; Ancharanus, n. 2; Joan. Andreas, n. 3 et Canonistæ ibidem communiter; item Layman, loc. cit., n. 6; Castro Palao, loc. cit., n. 6; Engel, h. t. § 3, num. 9, cum communi aliorum, contra D. Thomam, in 4, dist. 38, q. 1, a. 3, question. 2. ad 3, et plures alios apud Sanchez. Probatur conclusio, quod non dirimat sponsalia ex parte voventis, ex cit. c. *Veniens*. 5. *Qui Clerici vel voventes*; ubi papa post sponsalia ita voventem puniri jubet. Ratio est, quia tale votum, in quantum est in præjudicium et in ariam tertii, non est Deo gratum, nec ab eo acceptatur; sicut non acceptaret votum, quo quis voveret Deo, aut causæ piæ offerre domum, quam prius alteri jam promiserat, et ad quam alter jus jam habet: hinc, quia vovens continentiam prius jam, ut supponitur, promisit corpus suum alteri parti, hæcque habeat jus ad illud, Deus votum, quo sibi in præjudicium et injuriam hujus promittitur tale corpus, non acceptat, consequenter quantum alteri præjudicat, non valet, nec quidquam efficit.

237. Probatur altera pars conclusionis, videlicet, quod tale votum dissolvat sponsalia ex parte non voventis ex cit. c. *Veniens, qui Clerici, vel voventes*; ubi tacite approbatur, quod vir cognito voto continentie a sponsa emisso, alteri nupserit; quod facere non potuisset, si per votum sponsæ sponsalia ex parte sua soluta non fuissent. Ratio est, quæ in præced. conclus. quia videlicet talis merito censeatur renuntiasse sponsalibus, et juri sibi ex illis quæsito. Et ideo hanc partem conclusionis, teste Sanchez, loc. cit., n. 5. tenent omnes.

238. *Solvuntur objectiones. Promissum non frangit, qui in melius mutat: quomodo intelli-*

gendum? — Objicies contra utramque conclusionem num. 235 et num. 236, positam illud tritum ex c. *Pervenit*. 3. de *Jurejur.* « Promissum non infringit, qui in melius illud mutat, » sed qui vovet sacros ordines, aut perpetuam castitatem, promissum matrimonium, seu sponsalia in melius mutat; cum juxta omnes status clericalis, et virginalis sit perfectior; ergo. Unde ex hoc communiter docent doctores, sponsalia habere tacite imbitam illam conditionem: « nisi quid perfectius, seu statum perfectiorem elegero. » Resp. Illud ex c. 3. de *Jurejur.* desumptum procedere, ubi utrobique idem promissarius est; consequenter talis commutatio de voluntate creditoris fiat, uti fit, dum votum minus perfectum in perfectius mutatur; in his enim idem promissarius, et creditor Deus est; qui utique concedit, quod loco imperfectioris ei præstetur perfectius. Secus est in promissis in favorem hominum factis; utpote quibus meliora non semper placent, l. *Mutuum*. 2. § 1. ff. de *Reb. credit.* præsertim, si non idem promissarius, et creditor est. Ad illam conditionem, quæ dicitur tacite imbita, jam patet ex dictis n. 232.

239. *Vinculis duobus concurrentibus fortius ligat.* — Objicies II. Quando duo vincula incompatibilia concurrunt, tunc fortius prævalet, arg. c. *Si inter*. h. t., atqui vinculum religionis ex voto proveniens est fortius vinculo fidelitatis ex sponsalibus surgente; ergo resp. Majorem esse veram, quando utrumque vinculum validum est; secus si unum est invalidum, uti in præsentibus est votum suscipiendi sacros ordines, aut continentie in quantum alteri præjudicat.

240. *Votum suscipiendi ordines sacros, aut continentie, quid efficiat ex parte promittentis.* — Instabis. Ex hoc sequeretur talia vota a sponsis facta ex toto esse inania, utpote invalida, ac illicita; Sequela videtur esse contra jura arg. c. *Quidam*. c. *Placet de Convers. conjug.* Resp. negando *Sequelam*; quia talia vota non ex toto, sed solummodo in tantum sunt invalida, illicita ac inania, in quantum præjudicant tertio, uni nempe ex sponsis: de reliquo in quantum sine præjudicio tertii observari possunt, licita omnino, et valida erunt: ut proin quamvis illicite, et invalide agat, qui ita vovet sacros ordines, aut continentiam, quod etiam invita altera parte velit suscipere ordines; eaque repulsa, seu in matrimonium non acceptata

continentiam servare, uti bene observat Sanchez, lib. I, disp. 46, num. 10. per hujusque disputata, tamen valebunt hujusmodi sponsorum vota, in quantum sine præjudicio alterius observari poterunt, ut proin vitalis voti omnino teneatur sponsus suscipere ordines, aut abstinere a nuptiis, et servare castitatem, si alter consentit. Secundo debet tale votum perfecte adimplere mortua sua comparti. Tertio, si continentiam vovit, debet a petendo debito abstinere, donec cum eo dispensetur, arg. cit. c. *Quidam*. et c. *Placet de Convers. Conjug.* ibi: « Eo quod licet votum ejus usquequaque non tenuerit eatenus tamen obligatorium est, quatenus se poterat obligare. »

241. *Votum præcedens sponsalia dissolvit illa.* — Quæcumque autem hactenus diximus, intelligenda sunt de votis subsequentibus sponsalia jam contracta; si enim tale votum præcedit, et sponsalia primum subsequuntur, certum ac indubitatum est, quod ratione talis voti sponsalia sint nulla, et invalida, uti cum unanimi bene advertit Sanchez, lib. I, disp. 46, num. 3. quia tunc sponsalia continent rei illicitæ promissionem, quæ utique non obligat. De quo magis infra tit. VI. *Qui clerici, vel voventes*.

§ VIII.

DE RELIQUIS CAUSIS SOLVENDI SPONSALIA OB MATRIMONIUM, VEL SPONSALIA POSTERIORA, FORNICATIONEM, IMPEDIMENTUM, VEL ALIAS MUTATIONES SUPERVENIENTES EMERGENTIBUS.

242. *Per matrimonium solvuntur sponsalia cum alio contracta.* — Quæritur I. An, et quomodo sponsalia contracta dissolvantur per subsequentia alia sponsalia, vel matrimonium cum alio contracta? Resp. I. Quamvis illicite quis contrahat matrimonium post sponsalia cum alio contracta, nihilominus tale matrimonium valet, et sponsalia priora dissolvit. Est certa apud omnes, textu claro c. *Si inter*. 31. h. t. et c. 1, de *Sponsa duorum*. Et hoc intellige primo, etsi priora sponsalia juramento fuerint firmata; ut expresse habetur cit. c. xxxi. h. t. ibi: « Sive sit juramentum interpositum, sive non. » Intellige secundo, quod etiam tali matrimonio postea per mortem alterius soluto non amplius obligent præcedentia sponsalia; quia obligatio semel extincta non amplius reviviscit, arg. l. *Qui res*. § *Aream*. ff. de